

Bibliothèque numérique

medic@

**Fressant, Jean Baptiste Gabriel -
candidat / Bourdelot, Pierre -
président. - An Oryzae usus
saluberrimus ?**

1694.

***Paris : Apud Franciscum
Muguet, Regis & Facultatis
Medicinae Typographum
Cote : ms 2324 n°27***



QUÆSTIO MEDICA,

*CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS,
manè discutienda in Scholis Medicorum,
die Jovis vigesimâ-nonâ Julii.*

M. PETRO BOURDELOT, Medico
Regis ordinario, Præsede.

An Oryzæ usus saluberrimus?

I.



IVERE & nutrirî diversa nomina, res eadem: vita perennis nutritio, indefinente sanguinis circuitu peragitur, vix septem dies duratura, si novus in horas ab alimentis liquor, continuo effluentis ruinam non repararet. Alimentum illud omne cujus succo instauratur sanguis, cibo, potu, & spiritu continetur; cibi minor necessitas, potûs major, aëris maximus; potu, citissimè nimirum permeabili, refici facilius quam cibo: hic ex plantis aut animalibus petendus, aliunde nusquam; quò simplicior & parcior, eò salubrior, senibus maximè, quibus quò minus viæ superest, eò minus ingrendum viatici. Qui ex carne animalium paratur, propter compagem, arcto fibrarum nexu contextam, dissolvi non facilem, & succum nimis validum ac nutrientem, valentiori stomacho etiam molestus, quantò indomitior debili & ægro? hinc carnivori, ut plurimum graves, pingui aqualiculo, somnolenti, corporis & animi morbis obnoxiores, atque avi brevioris; etenim post vocatas ad epulandum animalium

Horat. od.
2. lib. 1.

Journal de
Siam pag.
226.

12
carnes, contra quod sapiens natura instituerat, longè veriùs quam *post ignem athereâ domo subduclum, n. va febrium terris incubuit cohors, semotique prius tarda necessitas lethi corripuit gradum.* Æstate & locis calidioribus, carnis usus magis nocens. Hâc apud Indos serò vesci non patitur valetudinis ratio; piscibus etiam satiari impunè licet. An ideo minus à piscium esu sanitati metuendum? atque hos, modò sit delectus in condimento, in ipsis febribus morbisque plurimis, multò magis convalescentibus (ut Medicinæ Principes, Græci præsertim olim factitarunt) etiam nunc nostratibus exhibere, tutum? quid si pisces plerosque, substantiâ levi, tenerâ, ad coctionem facili, mitiore & minus putrescente, carnibus salubriores dixeris, paradoxum forte videretur? non ita verò si his & illis præferenda moneas alimenta quæ ex plantis desumuntur, levioris nimirum & temperationis succi, coctu facilioris, pauciorisque excrementi, atque adeo sanis & infirmis accommodatiora.

I I.

P R I M I S parentibus lignum fructiferum & herbam seminalem dedit in escam, qui solus novit quæ cuique naturæ magis conveniant. Rustici & vitæ austerioris disciplinam amplexati, fructibus & frugibus, nec minus suâ sorte, quemadmodum nascentis orbis incolæ, contenti, longâ gaudent & viridi senectute, urbanis & aulicis alacriores, ac magis forsitan invidendi. Homo natus fruges consumere; ex his varia parari curat ciborum & potuum genera, quorum præcipua, cerevisia, mensis Borealibus frequentior, & qui inter esculenta primas vulgò sibi vindicat panis, omni ætati, regioni, naturæ, conditioni & temperamento conveniens; cuius fastidium semper pessimum, non ita verò satietas; ciborum denique gratissimus & saluberrimus, modò optimè conficiatur, & ex tritico laudabili; non tamen ad vitam ita necessarius, ut illius usu impunè carere nemo sanus possit: doles quod te deficiat, cave statim fame perendum existimes: scito præter fructus, in quibus omnia reperias quæ non ad vitam solum ac sanitatem, sed & ad delicias desideraveris, herbas ubi necesse est non pecori tantum sed homini nasci? quis alius illi cibus à primis rerum initiis ad diluvium? non ne aureâ hâc ætate, panis erat herbæ virides quas tellus de sinu suo lubens proferebat? quot sunt adhuc qui panem nesciunt & vivunt Nestoreos annos? Populi præ cæteris ad utrumque mundi cardinem positi? desine igitur tristium querelarum, cum in summâ etiam annonæ penuriâ plurimæ tibi præsto sint dapes, pane non minus commendabiles & salutiferæ, quas inter nullam oryzâ præstantiorem dixerit nisi rerum Hygiasticarum, seu ad sanitatem tuendam & vitam producendam pertinentium, omnino rudis atque imperitus.

I I I.

O R Y Z A Hippocrati, nemini nunc incognita, Alexandri magni ætate, in Græciam primum allata, radicibus est triticeis, culmis trium circiter cubitorum, striatis, geniculatis, tritico crassioribus ac magis rigidis: flores habet purpureos, folia longa, arundinacea, carnosa, porro non absimilia; in culmi cacumine non spicam sed veluti jubam effundit milii modo in ramulos divisam, in quibus semen utrinque impari ortu & alternatim, ovi figurâ, provenit; cortice subflavo, aspero, supernè villosa, & angulosis striis in longitudinem donato tectum, atque asperâ aristâ armatum: palustribus ac riguis innas-

citur, & in ipsis aquis crescit; Vere seritur, serò maturefcit, nec nisi sole plurimo; hinc Septentrionales regiones, licet humentes magis, tamen ut aliosas respuit, nec ibi ad frugem potest pervenire. Hujus tria potissimum sunt genera; primum vulgare grano candido; alterum grano subrubente minoris pretii; tertium Botanicis nostris hætenus incognitum, grano nigro, ut rarissimum, ita suavissimum & saluberrimum, nec nisi ditioribus apud Indos reservatum: cuiuscumque tandem sit generis oryza, non nisi pistâ seu cortice nudatâ omnibus locis venalis prostat; eligenda quæ dura, densa, gravis, nitida, recens & optimè repurgata. jam si qualitates requiras, adstrictionis quidpiam habere, atque adeo alvum mediocriter sistere concedimus, fortè etiam quod urinam moveat; sed quidquid contradicant Antiquorum nonnulli, asserere non dubitamus vix ullum in rerum naturâ reperiri alimentum, plurimi & benignioris succi, minus excrementitium, concoctu facilius, modò optimè paretur, vitæ nostræ principiis magis analogum, quod denique sanitatem præsentem conservare, fugientem retinere, amissam verò restituere, potentius valeat.

I V.

O RYZA populis prope omnibus in usu, plurimis præcipua annona est & loco panis, quem etiam respuunt, tam dulci & salubri nutrimento semel assuefacti; huic Asiaticorum res cibaria prope omnis tanquam basi innititur; inde pulmentarium tantopere celebratum quod *pilau* vocant. Varios oryzam ad cibum & potum pro regionum diversitate præparandi modos, longum esset recensere: satis sit ex ipsâ potiones fieri suavitate & viribus vino non inferiores, ptisanas confici ægrotantibus gratissimas & saluberrimas, edulia demum parari delicatiori quoque palato placitura: cum lacte vaccino aut pingui carni jure vulgò concoquitur, rarius in aquâ simplici solâ; qui modus ut expeditior, ita Indis Orientalibus magis frequens, apud quos fere pulmento unicè victitant mulieres, servi, rustici, & infimâ de gente, quibus singulis Oryzæ sic paratæ uncia tres aut quatuor ad summum in diem sufficiunt: hæc parabili & triobolari mensâ sælices, firmâ corporis & animi functionum integritate fruuntur, nullis prope turbata ægitudinibus, sed his minimum quas fere innumeras invehit serosa illuvies: nec mirum cum una jucundæ, salubris, longiorisque vitæ parens sit, modicus simplexque cibus, nulli non ætati & temperamento salutifer, quidquid reclamitent helluones & qui nimia edacitatis causam grande aut fervens jecur immeritum faciunt, inepti sanè & ridiculi. vis rarus imò nullus tibi assideat Medicus, temperanti penè inutilis, alias ingrata semper catharsi & frequentiori phlebotomiâ formidabilis, discite inter epulas esurire; fuge dubias illas & lautiores cœnas, medicantium nutriculas, quæ diverso omnis generis & succi cibiorum apparatu, corpus nostrum non tam alunt & firmant, quam inquinant & obruunt. Hinc ilias malorum & tot immaturi atque præcipites interitus: pauci etenim fato suo per-eunt, sed incautâ vivendi ratione ultimam vitæ lineam facimus, quæ vix media futura erat.

V.

N ON est vivere sed valere vitâ: qui frugi & sobrius curat ut valeat, ut sit nimirum mens sana in corpore sano, verè vivit & sapit; contra immodici & intemperantes non tam malè vivunt, quam diu moriuntur: stulti qui

Viaggi
di Ra-
musio
Tom. I.
pag.
300.
Histoire
de Ma-
cassar
pag. 30.

M. de la
Loubère
voyage de
Siam vol. 1.
pag. 58.

Gasp. Bau-
hin Theatr.
Botan. pag.
485.

summam humanæ vitæ felicitatem, firmam nempe corporis & animi valetudinem, quanti facienda sit, haud aliter quam perdendo cognoscunt : amissam ægrè recuperaveris, præsentem ut retineas facilis est & compendiaria via, cautus sis in victus lege, ex simpliciore cibo sume latus ordinatâ quod satis est manu. rectè institutâ vivendi ratione solâ, non sanitatem modò servari, sed morbos etiam fere omnes debellari posse contenderunt veteres primæ notæ Medici, nec immeritò. Optimum Cardiacorum & alterantium ut sit medicamentum in alimento & alimentum in medicamento; utrumque eximium præstabit Oryza, sano, ægro, convalescenti æquè profutura, maximè si furno ficcata, & in pollinem redacta, cum jure gallinaceo ad tenuis puliculæ consistentiam lento igne paretur; vales! bonum habitum conservare, morbos ab acri sero ut frequentissimos, ita magis timendos præcavere, atque acidorum vim insensam, chronicorum affectuum parentem, infringere, nulla esca potentior : deficiunt inopem venæ te? à longâ ægritudine vix resurgis? non aliunde major ruenti & tenuato corpori accedet fultura, nec promptior in sanguinem converti, jam quasi chylus & semisanguis : febricitas? morbus te cruciat acutior! ab ovis prudens caveto, foveant illa, sale volatili plurimo & sulfure, insolentem humorum effervescentiam; sanis etiam in calidis regionibus noxia, ægrotantibus mortifera : nec minus cavendum à consumptis, expressis, destillatis, carnis elixæ sorbitionibus, quæ partium ad putredinem inclinantium diversitate, sanguinem exagitant, languenti ventriculo faceffunt negotium & ægrorum dispendio sæpius quam solatio exhibentur. *Quid cessas? agetum sume hoc ptisanarium Oryza;* deficientem & nauseabundum stomachum gratâ dulcedine demulcebit & reficiet, furentem bilis impetum sedabit, comprimet inimicum calorem, motos componet humores, & in stabili pace continebit; opportunissimum alimentum, præstantissimum medicamentum, & verè panacea.

*Voyage de
Congo pag.
155.*

*Horat. Sat.
tyr. 3. lib. 2.*

Ergo Oryzae usus saluberrimus.

Afferebat Lutetiæ JOANNES-BAPTISTA-GABRIEL FRESSANT,
Parisiensis, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1694.

Apud Franciscum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.